



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm I. Causam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

TITVLVS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS VEL NON.



Ordinariè testes à partibus rogati, aut producti vt testimonium in iudicio proferant, si reculent, à superiore suo cogi possunt, vti dictum est in *c. 1. de testib.* interdum tamen excusantur, ut cogi non possint, quâ de re in *hoc. tit.* tractandum.

CAPITVLVM I.

Causam.

PARAPHRASIS.

Causam matrimonialem Alexander III. commiserat quibusdam iudicibus, hic verò mandat Episcopo huius loci, vt moneat testes, qui ab vtrâque parte rogati ac producti fuerunt, ne veritatem occultent, sin autem ex odio, gratiâ, timore subtrahere se velint, ipsos per césuram Ecclesiasticam compellat ad ferendum testimonium coram iudicibus delegatis, vel nuntio, quem ad testimonium depositiones accipiendas destinârunt.

S V M M A R I V M.

1. *Iudex Ecclesiasticus testificari renuentem in civili causa, etiam censuris ad id cogere debet.*
2. *Iudex potest receptionem testium etiam in causa criminali tabellioni vel alteri industria persona committere.*

NOTA I. Iudex Ecclesiasticus imprimis hortari debet eos, qui in testimonium rogantur ac producuntur, vt veritatem quam nōdunt, edicere velint, sin autem se inobedientes præbeant & causâ non iustâ allegatâ testificari renuant, etiam censuras comminari, ac denique inferre iudex debet, hoc tamen intelligitur si civiliter agatur maximè in causâ matrimoniali, quid verò di-

endum sit in causâ criminali, infra patebit.

Nota II. Iudex receptionem & examen testium etiam in causâ criminali adeoque arduâ tabellioni aut alteri personæ industria committere potest, vti constat ex *c. 2. de iudiciis. in 6.* potest autem id dupliciter fieri, sicuti notat *gl. in Clement. 2. verb. iudices. de off. delegati. & Abbas hic. n. 1. Felin. n. 2.* 1. Vt actus jurisdictionis alteri committatur, qui aduersarium citet ad videndum jurare testes, exceptiones audiat & examinet, iuramentum à testibus exigat, interrogatoria à parte accipiat, testium multitudinem refrænet, inobedientes vel aliter peccantes puniat, juxta *l. Nullum. 18. de testib.* 2. Vt solum ministerium seu nuda exsecutio committatur, videlicet si post receptos atque approbatos testes & exactum ab iis iuramentum, committatur alicui examen testium super interrogatoriis jam formatis, ipsique traditis, & hic propriè nuntius seu exsecutor ministerialis appellatur.

Quæres: cur Pontifex scripserit ad ordinarium, vt testes compellat ad ferendum testimonium, cum tamen delegati iudices id facere potuissent, juxta *c. Præterea. 5. de off. deleg.* Resp. cum *gl. hic. n. 1.* quia ordinarius interdum id meliùs & efficacius efficere potest, quam ipsam ob causam interdum Ordinarius exsequitur sententiam latam à delegato Pontificio, si ipsi mandetur *c. Significasti 7. c. In litteris. 9. de off. delegati.*

CAPITVLVM II.

Cum super.

PARAPHRASIS.

Alexander III. hic scribit ad Presbyteros Pontix, cum ipsorum testimonium necessarium sit in causâ, quæ inter Episcopum Prænestinum, & Abbatem subla-